

No. 201. 1427. 27. Sept.

*Vertrag des Klosters mit Mag. Nicolaus Sculteti von Frankfurt a/O. wegen lebenslänglicher
Innehabung dreier Häuser und eines Gartens in der Burgstrasse.*

Nos Petrus de Radeburg praepositus, Jacobus Melko prior, Mathaeus Wenceslai custos, Johannes Pistor, Lutoldus senior ceterique capitulares monasterii sancti Thomae — tenore praesentium recognoscimus et fatemur, quod — honorabili viro domino Nicolao Schulteti de Franckefurd artium liberalium magistro amico nostro singulari vendidimus et vigore litterarum praesentium vendimus domos nostras ambas novas sibi vicine coniunctas ac aliam domum, quam habuit et possedit olim Lutoldus Backmeister, una cum horto dictis domibus duabus novis similiter vicine coniunctam in strata castrensi et in nostro allodio prope cimiterium ecclesiae nostrae sancti Thomae situatas et constructas pro centum et sexaginta sex florenis Renensibus boni auri et legalis ponderis, quos nobis in parata pecunia utiliter numeravit —, ad suae vitae tempora dumtaxat habendas tenendas pacifice et quiete absque cuiuscumque contradictione possidendas, non destruendas dissipandas aut diripiendas seu modo alio quocumque viliores faciendas vel reddendas, sed potius meliorandas et in suo statu atque esse conservandas per se, alium vel alios honestos et idoneos viros regendas. Et si quod absit caedem domus igne seu incendio ex praedicti magistri Nicolai aut suorum inhabitatorum negligentia et remissione desolarentur vel consumerentur, promisit nobis idem magister Nicolaus bona fide iuxta proborum virorum dictamen et decretum super eo satisfactionem in conformi structura aut pecuniis impendere effectivam. Etiam postquam dictus magister Nicolaus diem suum clauserit extremum —, volumus istas domos adstatim ad nos et nostrum monasterium devolvi, per suos successores seu testamentarios infra unius mensis spatium evacuare. Etiam promittimus bona fide, quod si dictus magister aut sui inhabitatores ratione inhabitationis per consulatum opidi Lipezensis occasione exactionis seu cuiuscumque alterius consuetudinis eorundem ipsis impendendae requisitus fuerit, ipsum volumus excusatum habere, exoneratum et indemnum. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem et testimonium nos Petrus praepositus pro nobis nostrisque successoribus et Jacobus prior ceterique capitulares praenominati sigilla nostra tam praepositurae quam capituli — praesentibus fecimus subappendi sub anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo sabato post festum sancti Mauricii, quae fuit mensis Septembris dies vigesima septima.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die beiden Siegel sind abhanden gekommen.